



patri, horum bonorum vsusfructus, indistincte ad dies vitæ debetur, n) siue liberi e potestate sua exierint, siue in eadem retineantur. Itaque parenti, his verbis adiectis, & vsusfructus, qui ex iuris romani & germanici principiis, non nisi morte patris finitur, & ea eius pars, quam ius statutarium ciuitatis Guelpherbytanæ, patribus ad dies vitæ concessit, seruatus est.

§. XIV.

Sed audio, qui, dum me in disputatione pergentem videant, Horatianum o) illud: quidquid præcipies: esto breuis, occinnant; cuius quidem præcepti, me eo magis memorem esse oportuisset, cum tractem leuia, & per se intellectu facillima; ita, vt monendi tantum lectores fuissent, non longa disputatione docendi. Quemadmodum autem, vt ex eodem HORATIO p) respondeam, qui breuis esse laborat, obscurus fieri solet: sic, qui errorem excutere cupit radicitus, longior euadit. Quam quidem nimiam, qua vsus sum, quamque ipse sentio, prolixitatis, excusationem, apud æquos rerum iudices suffecturam puto, qui cogitent, quod non omnium, quæ constituta sunt, singulæ semper rationes reddi possint. Sed ad propositum reuertamur; scilicet ad aliud argumentum, quo eodem sententiam meam confirmari

n) *Fürstl. priuilegia statuta und Ordnungen der Heinrichsstadt tit. 18.* Quam tamen dispositionem, ultra bona, quæ liberis ex hereditate materna deferantur, ad reliqua bona aduentitia porrigendam non esse, adhibitis argumentis iis, quæ §. XIX. in medium prolaturus sum, facile quisque intelliget.

o) HORATIUS *de arte poetica vers. 335.*

p) HORATIUS *loc. cit. vers. 25.*